

Vitae ac mortis animalium conspectus medico-mechanicus / Cujus propositionum veritatem Deo duce & auspice Dei-parâ in Augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano, propugnabit ab horâ octavâ ad meridiem, die mensis Februarii anni 1735. Jacobus Bajollet, ... ; Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.

Contributors

Bajollet, Jacques.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspellii : Apud Joannem Martel, Comitiorum Occitaniae & Universitatis typographum, 1735.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jusp8kx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





52882/P

(P)

Supply/P

RAJOLLET, J.




Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30351583>

VITÆ AC MORTIS
ANIMALIUM
CONSPECTUS MEDICO-
MECHANICUS.

Cujus propositionum veritatem Deo duce & auspice
Dei-parâ in Augustissimo Monspeliensi Apollinis
Fano, propugnabit ab horâ octavâ ad Meridiem, Die
mensis Februarii anni 1735. JACOBUS
BAJOLLET, Merigniacensis apud Bugesianos,
Artium Liberalium Magister, & jam dudum Medi-
cinæ Alumnus.

Pro primâ Appolinari Laureâ consequendâ.



MONSPELII,

Spud JOANNEM MARTEL, Comitorum Occitanis
& Universitatis, Typographum. 1735.

R. R. D. D.

318332

PROFESSORES REGII.

Illusterrimus D. D. FRANCISCUS
CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex Regi
a secretioribus Consiliis Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. Franciscus Chicoyneau Filius, Cancellarius & Judex patris Coadjutor.

R. D. Joannes Bezac, Decanus.

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol.

R. D. Jacobus Lazerme, R. D. Bezac Coadjutor.

R. D. Gerardus Fitz-Gerald.

R. D. Eustachius Marcot, Regis Medicus perpetuò ordinarius.

R. D. Antonius Fizes.

R. D. Franciscus Sauvages de la Croix, R. D. Marcot Coadjutor.

DOCTORES ORDINARI.

M. Hugo Gourraigne.

M. Petrus Fournier.

M. Petrus Guisard.

M. Claudius Chaptal.


M. Josephus Dumont.


M. Petrus Laglenne.

M. Franciscus-Josephus Bertet.

M. Jacobus Bataille.







tubert pere -



ILLUSTRISSIMO AC NOBILISSIMO

VIRO D. D.

CAMILLO PERICHON,

Regii Ordinis sancti Michaëlis, Equiti,
Lugdunensium Mercatorum Præfecto,
nec non ipsius Urbis, per absentiam
Excellentissimi VILLAREGII Proregis,
Præposito.

VIR ILLUSTRISSIME,

*Adhæsi tibi, dum primis studiorum meorum co-
natibus, Patronum essem quæsiturus. Obversata est
animo virtus tua, qua te per varios honoris gra-
dus raptum, ad summam dignitatem evexit; eo-
que me venerationis ac observantiae constrixit vin-
culo, ut ipse hoc libello litare constituerim. Quid*


vis artibus, aut utilitati publicæ, semper inter po-
pulum & studia versatus, aut hunc moribus & ins-
titutis temperas, aut animum disciplinis exerce-
s. Longius prosequeret; verum ad modestiam tuam sub-
mittendam esse orationem puto. Unum tantum mihi
exoptandum superest ut credas quod non fortunam
in te tuam sed te in fortuna tua perpetuo venera-
turus sit.

VIR ILLUSTRISSIME,

Tui observantissimus &
addictissimus.

JACOBUS BAJOLLET.

Dabam Monspeliij
mon. Febr.



VITÆ AC MORTIS ANIMALIUM CONSPECUS MEDICO- MECHANICUS.

1º. CUM omnes scientiæ Physicæ in cognitione tantum materiæ & motûs versetur, Medicina theo-rica, seu corporis humani scientia, his duobus pariter cognitionibus videtur absolvî.

2º. Quæ cognitiones eò certiores erunt quò clarior & nitidior variarum materiæ & motûs affectionum, aut statûm elucescet idea.

3º. Hæc si vera sint, his duobus versatur medica theo-ria cardinibus, 1º. Anatomicâ corporis, ejusque partium quoad volumen, densitatem, nexus, & situm descrip-tione. 2º. Mechanicâ, legum juxta quas solida & fluida moventur expositione.

4º. Cùm verò hæc partium dispositio, hæ leges sem-per constantes & evidentes sint, certè Mechanicæ Animalium cognoscendæ Methodum exhibent tutiorem, quam quæ figuris partium elementarium incomptis, legibus Chemiæ ignotis & variantibus innititur.

5º. Nec verum attingere & errorem vitare potest methodus galenica, quæ nec Mechanicas leges, nec par-tes solidas corporis respicit, sed quæ fluida tantum con-siderat atque ex his solum modo ejus proprietates erue-

re conatur ; quasi solida essent inertia vasa , aut quasi in exquirendis v. g. pistrini motū & viribus , rotatum & molarum nulla habenda esset ratio.

6o. Errant pariter hi medici , qui tantū corporis motū ut à causa sensibus imperviā factū , respiciunt ac in ejus variorum statūum explicazione , vel spiritus , vel archeum , vel animam , ac ut verbo dicam jovem è media nube accersunt , undē paulò intricatior est quam antea Phænomenorum explanatio.

7°. His erroribus minus obnoxii sunt Mechanici qui rerum essentiam , quæ nos omnino latet nec norunt , nec nosse satagunt , sed horum proprietates quorum tantū cognitio possibilis est & utilis , lentè sed tuto detegere conantur : & si in vero indagando non multū progradientur , saltem rectæ tutæque viæ , semper insistunt.

8o. Spectent itaque Chimici corpus ut alembicum , paracelsistæ ut microcosmum , pneumatici ut archei vel spiritūum theatrum , nos machinæ hydraulicæ instar illud habebimus , ac ejus partium figuræ , posituras , & motus varios ad veram vitæ ac mortis ideam eliciendam , indagabimus.

9°. Machina est corpus ex variis partibus , singulari artificis ingenio inter se unitis & contranitentibus constructum , eo fine ut certos ac determinatos effectus edat.

10. Partes illæ sibi invicem unitæ & in se contranitentes organicæ vocantur , seu organa ; ac horum motus ex figurâ & positurâ pendentes , ut rotatorius rotæ , spiralis cochleæ , organici vocantur , cæteri vero ab aliis partium insensilium , actione , elatere gravitate fermentatione pendentes , quorumque in Machinæ motū nulla est ratio , vocabuntur inorganici .

11. In Machinâ quacumque varia sunt organa , alia ab aliis ob nexum & situm pendentia ; quæ verò ab aliis minus dependent principalia vocantur , alia vero ministra .

12. Cum Machinæ cujusvis proprietates pendeant ab

ejus actione, quærendum quid sit actio & vis, ac 1°. quidem actio est momenti applicatio, ratione causæ motricis, & impressio dicitur ratione patientis corporis 2°. vis alia est virtualis, alia actualis, utraque habetur ex mole in celeritatem ductâ.

13. *Vis virtualis* est veluti supplex molis seu voluminis & densitatis quæ quidem si integra vel partialis celeritatem acquirat, aut in motum agatur, *actualis* dicitur aut momentum, ut vis virtualis ab aliis dicitur, vis inertiae aut resistentia.

14. Inde colligitur vim actualē, actionem cuiusvis potentiae aut organi comitari & in cuiusvis momenti indagatione rationem habendam esse 1°. molis quæ se habet ut pondus aut quantitas materiae 2°. motus seu celeritatis quæ se habet ut spatium à corpore moto lustratum & divisum à tempore, huic lustrando, impenso.

15. Ac proinde si moles sint æquales vires erunt inter se ut celeritates, si celeritates sint æquales vires erunt inter se ut moles. Si densitates & celeritates æquales sint vires erunt inter se ut volumina & sic deinceps milieua corollaria ex prædictis, certa & evidētia deducere facile erit.

16. Cum duæ potentiae æquali momento virium sibi contranituntur hæ vel quiescunt penitus, & hic status vocatur *æquilibrium* vel nutant, luctantur, & circa æquilibrii punctum moventur & hic motus vocatur *librato*.

17. Librato itaque & æquilibrium differunt inter se ut motus à quiete & utrumque virium æqualitatem ac unius mutuum supponit.

18. Verum tamen est, æqualitatem momenti virium in libratione assignatam rigore geometrico non esse sumendum nam si vires perfectè æquales essent, nulla esset libratio, sed tantum quies & æquilibrium.

19. *Functio*, saltem materialis, apud Medicos nihil aliud

est quam motus organicus quicumque & se habet ad facultatem ut momentum seu vis actualis ad vim virtualem.

20. Vita hominis nihil aliud est quam organorum principalium seu cordis & vasorum cum sanguine libratio.

21. Toties vivens homo dicitur, quoties adest in corde circulatio seu quoties functio cordis saltem viget. Verum haec circulatio supponit librationem inter solida & fluida; hanc enim positam libratione, ob singularem valvularum & vasorum positionem subsequi debet circulatio & inde cordis pulsus quo praesente vita adest dicitur.

22. Quod de homine dictum est, de quocumque corpore vivente, corde donato, intelligendum venit: sed cum plantae & quedam forte insecta, in quibus circulationem nullam detexere Physici, vivant pariter eorum vita est organorum principalium tantum libratio, nec non Machina quaecumque vivens dici potest, cum suos motus suasve peragit functiones ut horologium cum horas denotat; ea vero vita supponit potentiarum actionem & reactionem, quae cum semper aequales sint librationem constituunt.

23. Positam autem in homine sanguinis circulatione, vitam poni pariter seu functionum saltem principalium exercitum nemo non videt? ut si ponatur sanguinis circulationis debita & generalis aderit vita sana: si vero tantum partialis, aut alterata, vita morbosâ seu ægritudo aderit.

24. Itaque ratione causæ, vita est actio reciproca organicorum corporis humani, quæ actio fit mediantibus momentibus organicis. Haec actio libratio est, seu haec organa aequalibus momentis sibi contranituntur; si enim haec momenta multum inæqualia essent, alterum ab altero brevi victum & subactum cederet & utrumque quiesceret, ut ex Mechanicis patet.

25. Si libramen ex. g. seu pondus horologii multò superet resistentiam rotarum, certè motus Machinæ celerior quam par est, brevi cessabit, si vero adsit inter rotas & pondus vel elaterem, virium æqualitas quædam, librationem diutius perennandam fore evidens est.

26. Verum in humana Machinâ, illud est inter alias discrimen quod nulla ponderis aut elateris saltem sensibilis restitutione egeat, unde per totius vitæ curriculum motus cujusdam perpetui specimen exhibet.

27. Cum verò motus cujuslibet Machinæ perpetuus si fiat à viribus quæ reciprocas causæ & effectus vices agunt, ab æqualibus momentis fieri debeat, liquet organa corporis humani invicem contranitentia vere librari seu momentis paribus contraniti.

28. Unde verò pendeat motus ille perennis, & quidni cæterarum Machinarum more æquilibrium inter potentias æquales in quietem brevi terminatur? Certè qui rem proprius introspexerit & summi opificis industriam & ingenii humani curtam suppellectilem demirabitur.

29. Nec hujus phænomeni rationem intelliget nisi prius rationem omnium fere orbis motûm libratilium perspectam habeat. quare inter causam motricem æstus marinî & suum effectum, inter vires centripetas & centrifugas planetarum, inter fluviorum vires, si fas sit ita loqui, circulariorias, non intervenit æquilibrium & quies.

30. Machinæ humanae motus multiplici de causa perennatur, pressione scilicet alternatâ & libratili corporum ambientium & reactione internorum organorum.

31. Ambientia sunt potissimum aër, ac causa, quæcumque sit, gravitatis, quâ corpus undequâque & viribus æqualibus per vices repetitas comprimitur, in debitum volumen redigitur, in centrum repellitur, super terra & suis Machinalementis firmatur; his adde aquam, vestimenta, &c.

32. Interna, quibus ambientes vires librantur sunt va-

serum dilatationes ; & cum totum corpus vasis , alternato constrictio[n]is & dilatationis motu donatis , confletur , vires aëris contranitentes , sunt alternata totius corporis *diastoles*. Quibus adde adminiculi instar esculenta & potulenta aërem internum elasticum , fabricam osleam fulcrorum Machinæ & elasticam vasorum , nec non forte quamdam causam incorpoream motus internos multiplicantem.

33. Agunt itaque & reagunt hæ binæ potentiae & se-
se alternatis iictibus percutiunt , comprimunt & repellunt ,
non secus ac vis gravitatis aquarum agit adversus causam
motricem & æstum periodicum producentem ; quarum
si altera diutiùs alteram vinceret , quietem seu æquili-
brium induceret .

34. Cum vis quælibet , ex Mechanicis , possit respici ut
congeries multarum virium simultaneo motu , & in eum-
dem scopum agentium ; vis interna dilatatoria corporis
potest in plura alia momenta dividi , quorum summa , ex
prægressis , viribus oppositis seu externis æqualis est , unde
si alterutra cognoscatur cognoscetur & altera .

35. Vires internæ dilatatoriæ sunt fluidorum elater , tru-
sio in canales conicos , adeoque vis cunei . Trina hæc po-
tentia adjuvatur , à præcipuorum organorum vi contrac-
tiva scilicet à *sistole* cordis , quod præli instar , liquida in
appensos canales exprimit , arteriarum contractio quæ
illius præli vires in omnes corporis partes producit ,
membranarum elater , quem iterum exsuscitat & sustinet
pressio ambientium , &c.

36. Et ex hoc circulo causatum & effectuum liquet cer-
tè has vires æquales esse , verūm absolutam utriusque
quantitatem determinare vix possibile est .

37. Nec Borellii & Keilii computis hac in re fidem ad-
hibere nos sinit , utriusque calculorum severius examen ,
Borelliūs etenim in virium cordis calculo , vesicularum
fictitiarum vires adducit & Keilius vires cordis virtuales
ab ejus vi actuali non distinguit . Imò vim quām crux è

corde in aortam pulsus obtinet, pro cordis ipsius totali momento habet, unde calculorum mita disparitas, & error utrobique sobolescit.

38. Verum aquæ in anthliâ suspensio, ejus ponderis ad aëris gravitatem cognita ratio, & superficie cutis, neglecto pulmone, mensura à nobis habita, nos docent corpus adulti premi circiter ab aëre, momento æquali triginta mille libris.

39. Hæc iterum confirmantur à carnium in cucurbitulâ elevatione, ab Animalium in vacuo intumefactione, & subitâ & alternatâ per aëris ponderosi restitucionem, contractione; unde pro Iubitu vitam his redit & adimit Physicus aëris per anthliam dispensator.

40. Summa itaque virium internarum propè modum triginta mille libris æqualis est. Verum deinde cuilibet organo interno suam vitium partem æquâ lance tribuere penes judicem æquissimum non est sed tantum culatissimum. Cui quidem exequendo nos impares prorsus novimus.

41. Qui tamen similem susceperit provinciam debet prius distinguere vires contranitentes à viribus inertibus, necnon inter illas actuales tantum feligere.

42. Cordis v. g. vis alia est iners, ut vis gravitatis in hocce calculo, quæ libram vix æquat: vis contractiva altera, quâ sanguis tantum in cavo & in vasis suis subigitur; atteritur, quæque immanis est, ob miram quæ helici fibrarum suarum debetur, virium multiplicacionem & hæc vis licet actualis in potentias externas corpus comprimentes nullatenus agit.

43. Vis autem alia actualis est vis trusiva, seu quâ cor cruentum in arterias expellit, eaque, ut ut grandis sit virium virtualium supplex, exigua est ratione effectus, scilicet momenti quo donatur ipse cruentus hoc enim momentum vix unciam semissim æquat ut calculo experti sumus.

44. Quod exinde provenit, quia momentum cruentis in aorta v. g. est tantum excessus vis trusivæ super vim

membranarum & aëris huic resistentem.

45. Ultima demum & maxima vis quâ corpus ambientium pressioni resistit, est solidorum, fluidorumque in his compactorum elater & firma cohæsio, elater inquam tūm solidorum de quo nullus ambigit, tūm fluidorum scilicet aëris interni, qui externum ideo potentissimè librat ut Keillii tentaminibus probatur.

46. Non secus ac in horologio vires rotarum omnium debent ferme æquare vires ponderum, & inter rotas ipsasmet debet esse certa virium æqualitas, ut tota machina bene se habeat; ita internas inter Machinæ humanæ potentias, debet adesse certa libratio, ut sanitas adsit aut ut vita perennetur. Nam si quæ piam diutius cedat, vicinæ viribus oppressa fatiscet nec suas debito modo exeret functiones.

48. Ut rectè itaque se habeat machina, momenti virium proportio certa debet utrumque inveniri. Sic si crux in minimis vasis lentescens, ac ideo magis quam par est resistens, appellentis retro fluidi velocitatem sufflaminet, cordi columna fortior objicietur, elater vasorum & cordis a tensione crescat, inde pulsus frequentior ut in morbis inflammatoriis.

49. Si sanguis nimia vi trudatur in viscus, ac vincat ejus tunicarum resistantiam, intumescet viscus, ac inde mala multiformia pro visceris functione diversa ac pro infarctus velocitate vel lentore, nunc inflammatorii tumores, nunc schirrosi aut ut vulgo dicitur frigidi. Iisque omnes rursus varii, pro elatere, sensibilitate variaque vasis infarti distractilitate.

50. Inter solida & solida requiritur etiam vis æqualis, ut inter vires quibus crux ad caput truditur, & vires quibus meninges & vasa cerebri illis resistunt: Si etenim meninges nimium laxentur ut in paraliticis & soporofis quibusdam caput humoribus infarcietur; si vero contractio meningum fortior sit ut in vividis animi patematisbus

thematibus & in experimentis Baglivianis, cordi offeretur major resistentia unde ejus motus perturbabitur.

51. Vidimus nobilis viri cadaver in quo propter oblatam aortæ ramis supernis à schirroso thimo resistentiam aortæ truncus vi cruoris appellentis, dilatatus erat ad instar intestini coli, nec tamen ab ejus atonia id deducere potuimus, cum ejus parietes triplo crassiores essent quam in statu naturali.

52. Videre plures anatomici ut D. de Litre Dionis & alii, à vi contractiva meningūm in violento animi pathemate, tantam oblatam fuisse crux à corde profilienti resistentiam ut aorta immensè dilatata & à corde velati avulsa fuerit.

53. Similiter in asthmaticis, peripneumonicis, phtisicis, hidropicis, compressâ à pondere pulmonum vel aquarum aortâ inferiori, vis crux in caput fertur, unde cephalalgiæ, stupores, delitia & alia mala.

54. Paro de causa, in obstructis cachecticis, aliisque, cum vis resistentis viscerum obstructorum crux appellanti nimiam offerat resistentiam, crux veluti reflectitur aliquo sum & in locis minus resistentibus hæmoragias causatur.

55. Ex his liquet ad vitam sanam, requiri cuiusvis organi virium æquilitatem, quâ sublatâ sanitas aufereatur. Verum cum cor & majora vasa sint præcipui vitæ fontes & organa primaria, vitium æqualitas inter arterias & venas, auticulas & auriculas & ventriculos binos ad sanitatem maximè requiritur.

56. Nam si vis dilatans major sit v. g. vi contractivâ, ac illam per aliquod tempus vincat, nulla fiet circulatio; vis autem contrahens dilatantem si supereret per longius temporis intervallum, in æternum obstruetur fons vitæ.

57. Quænam autem sint hæ vires dilatantes & contrahentes, certè hæc in re omnium simplissimæ causæ pro veris sunt admittendæ atque adeò nihil aliud sunt

vires dilantantes quam appulsus sanguinis , & vires contrahentes quam fibrarum cordis elater , ut in arteriis , utero , vesicâ , fieri videmus , & uti per injectionem aquæ in cavam cadaveris succedere compertum est.

58. Ex qua per injectionem , motûs cordis restaurazione patet spiritu[m] nescio quorum influxum in auras avolare , & vano ingenii dispendio , nervorum ab auriculis compressionem excogitatam à Boherravio fuisse.

59. Vis itaque qnâ sanguis in auriculam dextram & cor appellit debet æqualis esse vi , quâ à corde in arteriam pulmonarem expulsus est ; & vis quâ in lævum cordis sinum exprimitur , vi quam in aortam expulsus obtinet.

60. Nec inde hujus vel alterutius momentum absolutum habemus , licet jam (n. 43.) Momentum sanguinis in aorta currentis adversus coluronam sanguinis antecedentis determinandum suscepimus . Nam præter momentum semi unciae jam assignatum quod ex produc[t]to molis & celeritatis deduximus , potentia ut ita dicam dilatatrix potest ex organi figurâ juvari ut à vicine aut à diductione sinuum & articularum sustineri , non secus ac cordis facultas expultrix à spirali fibrarum intortu[m] multiplicatur.

61. Verùm tamen non multùm à vero aberrare putamus supponendo , momentum ipsum quo crux à cava ad cor appellit esse semiunciae , uti momentum quod à corde in aortam impulsus obtinet . Sed mirabitur quis forte quod tam parva sanguini vis assignetur , quam difficultatem ut diluat , consideret 1º. Vim absolutam quâ cor dilatatur aut contrahitur esse forte multò majorem , istam vero hujus tantùm partem esse 2º. Hoc leve momentum tali operi impar non esse , cum vis constrictoria & dilatatoria cordis fere æquilibres sint . Ac demùm in cadaveris recentis iliacam venam injiciat fluidum quod vis calens , exhausto prius per Anthliam cavæ tubo & renovaro hâc arte cordis motû ad plures etiam pulsas

tiones, mirari desinet tam exiguum vim huic operi exce-
quendo desiderari.

62. Si quis noverit adulti aortam quolibet cordis mo-
tū, unciam unam & semissim cruris excipere, motus
tales septuagesies in munito iterati, aortæ orificium esse
circiter quinquaginta & sex linearum ac unciam & se-
missim sanguinis 388. Lineis cubicis fere æqualem esse;
brevi ex Geometricis habebit celeritatem sanguinis in aortæ
æqualem sex pollicibus intra quemlibet pulsum.

63. Ac deinde si non eum lateat fluidorum densitate
ferè æqualium, ut aqua & crux, adversus inæquales su-
perficies & velocitate inæquali motorum, momentum
aut vim actualem esse ut superficies & celeritates, si pa-
riter sciat aquæ quolibet secundo pedem decurrentis, mo-
mentum adversus superficiem pedis quadrati esse æquale
uni libræ & semissi, brevi pariter videbit momentum san-
guinis in aortam pulsi, esse adversus antecedentem co-
lumnam æquale semi unciae.

64. Cum autem ex (n. 55.) vires debeant esse si-
miles in arteria pulmonari cujas orificium idem est, ce-
leritates eadem sint oportet. Cum verò diameter cavæ
sit aortæ duplex, viribus æqualibus existentibus, celeritas
erit subquadrupla uti moles quadrupla, unde momen-
torum æqualitas.

65. Verùm, inquiet quispiam, inde sequeretur vim san-
guinis pulmones ingredientis patem esse vi cruris to-
tum corpus per aortam lustrantis, ac ideo vires contta-
ctivas utriusque oppositas æquales requiri.

66. Nec difficitur; autemamus etenim 1º. summam
vitium diastolicarum in vasis pulmonaribus arteriosis esse
viribus aortæ diastolicis æquales, quia eadem copia san-
guinis & eadem est celeritas in vasis similibus. 2º. Nec
obstat longe minor vasorum moles, quæ se habet forte
ad aortæ vasorum molem, ut pondus pulmonis ad to-
tius corporis pondus: quia vis quæ aet repellitur v. g.
non pendet a mole corporis quæ est vis iners, sed à

deant, cognitâ vi *actuali* unius arteriæ, cuiusvis alterius datæ diametri vis habebitur.

78. Indè sanitatis saltē organorum vitalium signum certum, evidentissimum, & non hypotheticum eruere facile est. Et utcumque ab illis recedat regulis pulsus erit morbosus, ut si pluries intra idem tempus, aut minori numero oscillet. Ut si intra eamdem aut variam frequentiam pulsū, diameter arteriæ crescat aut minatur; necnon si cæteris patibus aut imparibus densitas seu tensio crescat aut decrescat. Ac demū si hæc omnia tum simplicia tum combinata vitia sibi intra horam vel diem pluries succedant. Unde pulsus omnimodi a Galeno tam bellè sed subtiliter nimis animadversi. Undè liquet unicum esse sanitatis, millenos verò ægrotationis modos in dato homine.

79. Notandum obiter dupliciter peccare nostram humanæ machinæ cum horologio analogiam. Ac 10. claudicat quòd cùm horologii vita (si fas sit ita loqui) brevis sit, hæc virium tantam contranitentium æqualitatem non exigit ut humana machina, cum elater aut pondus semper vincat cæteri machinamenti resistentiam. 20 Quod inflexible sit, undè si sistatur vel exiguissimæ rotæ motus, sistentur & omnes intra idem tempus: machina verò nostra flexilis est ita ut læsio aut cessatio organi ministri, non statim *principum* fæsionem inducat.

80. Ex hâc flexilitate fit ut morbi partes *ministras* affícientes chronicí sint, breves verò seu acu i qui principales notabiliter afficiunt. Sic per longum tempus organa minutissimis vasis donata adeoque *ministris* functionibus inservientia, possunt tum a vi antagonista victa retineri, ut in musculorum contractione, comprimi, imò secari, verbo diversimodè affici, & virium suarum proportionem amittere, absque eo quòd vita, imò sanitas latè sumpta multum aut statim lædantur.

81. Sic obstructo sensim liene, certè si corpus flexible non esset, citò ex hâc resistentiâ circulatio & vita defi-

cerent, sed ob flexibilitatem, sanguis aliorum divertitur, minuitur copia, tunc evacuatione ingesti, tunc defectum ingerendi, atque sic perennatur, & servatur inter potentias vitales requisita *libratio*.

82. Miras nostrae machinæ proprietates ex hac flexibilitate pendentes si quis perpenderet certè hujus archittonici stupendam & nunquam satis laudandam industriam & prudentiam venerari non desineret. Ex hâc v.g. flexilitate & vasorum contractilitate fit ut animal, non continuâ, ut plantæ, roris nutritii suctione egeat, ac proinde aliis officiis immorari queat, cum imminutâ humorum per excretiones copiâ, pari proportione vasæ contrahantur, ne compressionis defectu cesse vitalis *libratio* sed de his satis.

83. Ex prægressis principiis plura corollaria derivare possumus; quorum ea quæ magis sunt utilia aut curiosa attingemus, ac demum hæc, ipsius theoriæ confirmans ergo praxi aplicabimus dum de morte erit quæstio.

84. Hanc sanitatis ideam subficerat Pithagoras, cum sanitatem ex harmoniâ deducebat, nam non secus ac bonus fidium status penderet ex vividiori aut laxiori tono chordarum, majori vel minori mole &c. ita humanæ machinæ concentus & harmonia ex debitâ virium proportione, chordarum debitâ vi & tensione tantum penderet.

85. Simile quid præsenserat Asclepiades Bithinius cum vitam sanam a vasorum cum humoribus symetriâ & proportione erueret. His si motum addas vitam habebis.

86. Errabant verò Galenici, qui vitam ex calidi innati & humidi præsentia, & sanitatem ex humorum, qualitatum elementarium debitâ proportione deducebant. Cum videamus ea animalia quæ frigidissima sunt ut salamandra, rana, testudo. vitam, si fas sit ita loqui, duriorrem & tenaciorem obtinere quam calidissima.

87. Nec quid benè in praxi utilis offerunt illi qui virtutæ essentiam, in entis cuiusdam motoris unione & præsi-

dio sitam credunt. Huc pertinent, spiritus omnigeni, anima, archeus, spiritus vitalis, flammula vitalis genius &c. quod idem est ac si quis diceret, tandiū oculum benē valere, quandiu in illum lumen potest agere.

88. Minus quoque recte vitam sanam definivit Frid. Hoffmanus, per actionum mentis & corporis vigorem, cum non in vigore præcisè, sed in debitâ hujus inter organa proportione & impensâ, sanitas sita sit. Quod ut evincatur rursus in scenam prodit horologium. Hoc perfectâ fruitur sanitatem, si functiones omnes suas, ut penduli pulsationem horarum denotationem, &c. Exerceat verum qualicumque vigore donetur perinde est. Hinc liquet etiam insectum perpusillum, non minus vivere & recte valere posse cum vi millesies minori, quam colossum elephantem, & fætulum quam vitum adeòque cum maximis viribus posse ægratare & cum minimis benē valere hominem.

89. Verbis autem abutuntur ii qui sanitatem & vitam ex æquilibrio aut circulatione æquali deducunt, cum æquilibrium mors sit, & æqualis circulatio in vasis tantum ejusdem nominis & diametri inveniatur.

90. Demum hæc doctrina motûm multum discrepat a Methodicâ, Galenicâ, Chemicâ, aliisque, in quibus de fluidis tantum aut solùm de solidis, nusquam vero de utrisque, minus adhuc de ipsorum actione verbum fertur.

Cum sanitatis conditio sita sit ex theoriâ, in uniformi potentiarum vitalium libratione juvat clarioris doctrinæ ergo hanc librationem seu virium æqualium reciprocam actionem ulterius confirmare, quod ut exequam determinanda est alterutrius potentiae vis ac deinceps alterius æqualitas probanda. Si enim virium oppositarum æqualitatem & reciprocam actionem evincam, libratiæ harum haud dubie erit propatula.

P R O B L E M

*SANGUINIS per aortam a corde propulsi vina
absolutam invenire.*

VIS juxta recentiores omnes mechanicos est ut productum molis per celeritatem. Ideoque si inter duas potentias moles & celeritates reciprocentur, vires æquales erunt.

Quærenda itaque & moles & celeritas cruoris a corde expressi in aortam ut vis ejus habeatur.

Celeritas fluidi tenacis ex utre quodam in appensum tubum cylindricum filo continuo expressi, habetur ex spatio quod ab hoc fluido intra datum tempus injecto, lustratur. Verum cum nemine dissentiente crux ex lævo cordis sinu non dissiliat, sed exprimatur, nullum vacuum in hoc tubo relinquat, sed ob tenacitatem, ejus superficiem internam undique tangat, spatium quod percurritur a crux in aortæ tubum, saltem per tractum æqualem & Cilindricum ejecto, idem est ac spatium quod data quantitas crux in datae diametri tubo potest occupare.

Aortam brevitatis gratiâ, supponamus cilindricam & indefinitæ longitudinis; sed cum ejus cavitas seu diameter quolibet secundo temporis mutetur seu alternatim sed æqualiter contrahatur & dilatetur, celeritates erunt reciprocè ut diametri; verum tamen diametrum inter dia-stolem & Systolem, ac proinde celeritatem medium pro verâ diametro & pro verâ celeritate sumere nobis licet. Unde difficultates omnes sensim diluuntur.

Nunc facile est determinare molem ejus crux, nam corpora ejusdem densitatis habent molem æqualem si spatiis iisdem contineantur, & spatia illa seu volumina sunt reciproce ut densitates.

Densitas crux ex D. Guigielmini est ad densitatem aquæ ut 25. ad 24. id est in eodem spatio continen-

etur 25. Sanguinis mensuræ & aquæ 24. Quam differentiam ut pote leviorem obmittimus.

Volumen seu spatum quod intra pulsum cordis, intra minutum primum septuagesies pulsantis, occupatur a sanguine ejecto in aortam, est propemodum unciæ unius & semis, ut mechanicè competimus, mensurando capacitatem lævi cordis sinus & substrahendo unciam semifsem circiter cruoris quæ quolibet pulsu non ejicitur. Uncia & semis cruoris debet æqualis esse propemodum 3800 lineis cubicis cum eadem aquæ quantitas sit æqualis 3888 lineis cubicis, sed rursus hoc discriminis fere nihil est.

Jam vero ut detegamus spatum ab hoc sanguine in aortâ occupatum, dividenda hæc sanguinis malla per orificium seu aream sectionis transversæ aortæ.

In pluribus virorum cadaveribus, inveni circumferentiam medium aortæ supra coronarias 28. linearum, ergo hujus diameter erit fere 9. Linearum, ergò cum area circuli sit ad ejus diametri quadratum ut 785. ad 1000. area aortæ erit circiter 56. linearum.

Divisis itaque 3888. lineis per 56. habetur spatum quod sanguis, quolibet pulsu medio, debet in aortâ occupare, seu invenitur ejus absolute celeritas, atque perfectâ operatione celeritas cruoris in aortæ initio est intra pulsus vulgaris tempus sex pollicum.

Et si aorta cylindrica recta & indefinitæ longitudinis supponatur, celeritas sanguinis intra minutum erit triginta pedum circiter, non obstante alternatâ diametri mutatione, cuius statum medium ideoque verum sumplimus.

Advertendum obiter sanguinem in juvenibus multo velocius circulari ex eo quod aortæ diameter sit minor, & pulsus cordis frequentior. Sanguis enim minus tenax & membranæ magis flexiles minorem cordi opponunt resistentiam. In senibus econtra ob tenacitatem fluidorum & resistentiam membranarum cordi cruentem expellenti & ipsi sanguini lento conciliatur, ex eadem cau-

sæ fit etiam ut aortæ initium dilatetur ita ut ejus circumferentia fiat 42. linearum, ut observavimus.

Advertendum iterum minus accuratum esse quotundam computum de celeritate croris absoluta, tūm quod celeritatem ejus medium inter diastolem & systolem non satis diligenter sumant, tūm quod ex vivisectionibus statum naturalem mutantibus & factis in animalibus, eam celeritatem inquirant ac demūm quod statuant pulsare pluries cor in adulto quam nos stabilivimus, unde celebris Pitcarnii computum a nostro multūm discrepat. Sed hæc de mole & celeritate sufficient. Jam vim sanguinis hujus inquiramus. Notandum tamen à nobis tantum inquiri vim actualem quam croris columna à corde quolibet secundo propulsa exerit in columnæ antecedentis basim.

Ex hydraulicis. Si fluidorum similis densitatis celeritates sint eadem vires erunt adversus superficies similiter inclinatas ut ipsæ superficies & si superficies sint eadem vires erunt ut celeritates. Aqua quæ ejusdem fere cum sanguine densitatis est, cum celeritate unius pedis intra minutum secundum, exerit adversus superficiem pedis quadrati momentum æquale uni libræ & semissi.

Si itaque sanguis esset ejusdem celeritatis ac impelleret eamdem superficiem, certè idem momentum exeretur; sed tanto minus esse debet quanto minor est superficies 56 linearum, superficie pedis, & celeritas 6. Pollicum celeritate 12. pollicum; & tantum ob densitatem unâ 25. parte major. Initio demum calculo vis sanguinis erit propemodum adversus columnam antecedentem æqualis semiunciae.

THEOREMA

MOMENTUM *cruoris per cavam ad sinum cordi dextrum appellentis est æquale semiuncia.*

Inveni in cadaveribus priorum virorum circumferentiam cavæ, cum ascendens & descendens coïvere 56. linearum; ac proinde diameter 17. lineis Paulo major est & orificium circiter 240. lin. atque sic Paulò majus quam quadruplum aortæ.

Inde evidens erit quod cum velocitate subquadraplā velocitatis aortæ, vis eadem exeretur in cavâ ac in aortâ, cum velocitates cum massis impellantibus recipi centur hinc & inde. Celeritatem autem sanguinis in cavâ esse tantum ad sanguinis celeritatem in aortâ ut 1. ad 4. illud ex ipso evincitur quod ejus orificium sit ad orificium aortæ in ratione inversâ. Constat enim ex hydralicis celeritates fluidi similis eadem vi impulsâ in canalem diversæ diametri, esse in ratione inversâ quadrâ diametrorum. Atque sic se res habet inter aortam & cavam quæ sunt canalis continuus & tantum reflexus.

Objiciet forte quispiam eam virium æqualitatem tubari ex eo quod cavæ orificium sit unâ octavâ parte majus orificio aortæ ac proinde vim tantumdem majorem formâ.

Sed si ex parte aortæ addant virium incrementum ex cordis ventriculi sinistri supra dextrum & aortæ superâ cavam elatere, densitate, majoribus, æqualitatem inversoram esse conspicient.

His adde resistentiarum ex affrictu discriminem hinc inde vindicari. Si enim resistentiæ ex affrictu sint ut celeritates & ut diametri vel ut horum quadrata, affritus ex celeritate quadruplâ in aortâ erit similis affritus ex superficie quadruplâ in cavâ unde semper revertit virium æqualitas.

Quæ jam de libratione potentiarum vitalium disputu-

vimus & explicuimus cæteris omnibus applicetur, & mirabilem inter varias has potentias librationem summâ cum voluptate ubique reperiemus, sic licet in aortæ tractû sanguis velocitatis suæ partem amittat in divisionibus, quoniam tantumdem voluminis aquirit ex adauctâ diametrorum summâ, virium æqualitas servabitur. Idem dico de cruce venoso, idem quoque de viribus solidorum inter se; in quibus semper invenire est minorē celeritatem compensari, vel majori volumine, vel majori densitate. Cum demonstraverimus ferè eamdem esse vim aortæ ac cavæ earumque fluidorum; eamdem virium æqualitatem persistare inter arteriam venamque pulmonarem & vasa prædicta, evincere non est arduum, cum diameter arteriæ venæque pulmonaris similes sint diametro aortæ.

Verùm uno verbo, si vires vitales hinc & inde æquales non essent citò corrueret nostra machina nam vel crux cursus semper cresceret vel decresceret eundo; Si cordis resistentia, membranarum & vasorum viribus impellentibus major esset cito circulatio humorum atque vita cessaret, & sic de aliis.

Librantur itaque potentiae vitales inter se, ac proinde vita animalium, machinarum organico ac regulari motui potest comparari quod erat probandum.

91. Mors est status inertiae machinarum, in quo nullam omnino functionem exercent. Ideoque cessatio est omnium motuum organicorum, abolitio librationis proindeque status æquilibrii.

92. Competit mors omni corpori functionum capaci adeòque plantis, brutis, hominibus. Ast animæ neutiquam, nec proinde mors genericè sumpta animæ separationem a corpore involvit.

93. Male etiam definitur per abolitam circulationem cum plura corpora vivant absque circulatione saltem quædam infecta & omnes plantæ. Verùm in homine & brutis, ablato circulatorio præsertim cordis motu abo-

lentur omnes functiones vitales, unde mors.

94. Mors ratione nostri, alia vera, alia apparet, cum etenim motus circulatorius aliquandiu peragi possit circa cor & in majoribus vasibus absque eo quod ul latentus extorsum appareat ut olim observavit illustris Harvæus, hic status erit tantum mors apparet.

95. Notandum quippe, per transennam, sensum nostrorum aciem ac proinde nostram intelligentiam ex sensibus petitam brevissimam esse, adeoque numquam satis homini cautum esse ne pro vero veri speciem sumat: sic motum titionis in circulum girati, sphæræ juxta axim suam, licet celatum, acūs horologii licet lenissimum non percipimus.

96. *Mors* totam machinam afficiens nomen proprium retinet, quæ verò partem tantum, *sphacelus* audit. Utique mors est vel sine destructione organorum, vel cum destructione notabili & tunc *putredo* adest.

97. In cadavere seu mortuo animali, quiescunt in æquilibrio organa vitalia, proindeque omnia alia ex his pendentia; atque ideo nulla functio exercetur. Superfunt tamen motus inorganici a putredine, fermentatione, gravitate fluiditate oriundi.

98. Äqualitas absoluta virium inter organa vitalia sibi contranitentia, est causa mortis; nam ex hac oritur æquilibrium seu quies organorum quorum motus *libratis-lis* vitæ causa est. Patet ex definitione vitæ & mortis, vitam esse perennem tendentiam ad mortem, seu æquilibrium.

99. *Libratio* vitalis fovetur ab actione reciproca vasorum & fluidorum, unde si alterutra potentia multò inferior sit, alteri accidet mors a causis internis.

100. Cum verò corpora externa continuò in corpus agant ad librationem illam perennandam si horum vis crescat aderit mors a causis externis.

101. Causæ mortis internæ sunt resistentiæ nimiae solidorum ut a vasorum obstructione, dilatatione, tumo-

re, vulnera; vel fluidorum ut crassities, fluor nimius; quantitas, qualitas depravatae. Causae externae mortis sunt actiones aëris esculentorum, corporum in nos alio quam par est modo agentium; Ut gravitas aëris aucta vel imminuta nimium, sauciatio a brutis, instrumentis, corrosio, coagulatio a venenis, &c.

102. Mors alia subitanea, alia lenta. Subitanea est cum tempus notabile non datur intra causæ applicacionem & suum effectum; quæ mors si a causis internis ut anevrismi, abscessus rupturâ, paralysi, aut convulsione violenta, *improvisa* ut plurimum est; si verò ab externis ut casu, vulnera fracturâ, *violentia*, dicitur.

103. Lenta vero ea est in quâ notabile a causâ ad effectum intercedit tempus seu ægrotatio & tunc temporis facti virium morbi & ægri comparatione, vulgo prænoscitur aut mors aut victoria læta; sive ab internis sive externis causis malum accesserit.

104. In machinâ perfectâ inflexibili ut metallicâ, nulla minima pars sisti lædive potest quin illicò ceflet totius machinæ motus, verùm in nostrâ machinâ ut potest flexibilis, per menses & annos lædi possunt organa ministra, vitâ superstite.

105. Turbatâ aut læsâ vitali & æquali organorum libratione, machina tendit ad mortem, verùm citius, cum principalia organa afficiuntur ut cor, arteria magna, aut plures minores; lentius cum ministra ut venulæ, vasa minima, afficiuntur, celeritas mortis est proportionata intensioni causarum mortem carentium. Sic ligatura aortæ fortior citiorem mortem, debilior lentiorem ciet. & causa intensione æquali, celeritas mortis est in ratione vitium organorum vitalium quibus causa mortis applicatur.

106. Sic si ligetur aorta prope cor citissima mors adest, minus cita si in abdomen, minus adhuc si alterutra cruralis, lenta si arteriola; prout partes vitales minus robustæ seu minori mole & motu donatae læduntur. Secunda

venâ majori ejusdem diametri ac aorta , mors intra horæ circiter quadrantem tantum accider , non verò æque citò ac ab aortæ sectione , sed sectâ cavâ juxta cor , citissima mors adveniet ut ab aortâ , cum harum vires æquales sint.

107. Morbus itaque erit acutus vel chronicus brevis aut longus in ratione intensionis causarum & vis organi affecti.

108. Unde mortes omnium celerimæ , cæteris æqualibus , quæ a Syncope ut læso presso , obstructo corde , aut vase cordis , dein quæ a suffocatione , nam in pulmonibus vasa maxima & cordi proxima sunt , deinceps quæ ab apoplexiâ &c. fiunt.

109. Cum machina tandi se bene habeat , quandiu resistentiæ seu reactiones , actionibus æquales sunt , si alterutra cedat aut quod idem est alterutra excedat aderit morbus , qui eò fortior erit & acutior quo actio organi affecti aut antagonistæ potentior , lentior verò ratione contraria.

110. Secetur arteria canis in cruce , intra minutum quatuor libræ sanguinis effluent , pulsus celerior evadet & tenuior , cordis vis licet imminuatur , minus imminuitur quam crux superstitis resistentia aut reactio , ergo quiescit cor , ut pote quod a pauciori liquido huic resistatur , mors aderit , seu cordis æquilibrium.

111. Ligetur econtra arteria eadem aut major ut aorta in abdomen , sanguini a corde propulso objicitur magna resistentia , ideoque columna ab obice ad cor extendetur quâ fieri ut cor sese contrahere vix queat , verum cum vis cordis crescat a distensione suarum fibrarum , cordis pulsus ingeminabuntur & validius nitentur ad vincendum hunc obicem : unde mors protelabitur , adderit quod cum flexilia sint vasa lateralia , sanguis illas vias subibit , adeoque cordis motus adhuc perseverabit usque quo debilitato a nisu corde , & infartis arteriolis vicinis , resistentia obicis & columnæ interpositæ crebet in majori

majori ratione quam cordis vis, unde fatiscet cor & æquilibrium lethale aderit. De phænomenis mortis pauca referemus.

112. Cessat motus libratilis fluidorum & solidorum ergo cessat calor, cum calor ex horum affictū pendeat; Sanguis quiescens sponte facessit in duas substantias cruentem scilicet & serum nec non in bullas aëreas; ergo mutabitur color roseus corporis in lividum qualis est color croris grumosi aëre & sero orbati, vel in pallidum a seri liquefcentis abundantia; mutabitur quoque partium tonus, fibræ enim non amplius succulæ, non expuent serum a quo brevi remollientur; Serum ipsum a croris mucilagine liberum faciliter per vasa cutanea effluet, ipsa laxata cutis vasa liberius excipient globulosas croris partes unde rubores maculæ, vibices, &c. Uno verbo flavescent & remollientur tota machina, usque quò fluido in auras avolato, pars fibrosa solidorum & fluidorum concrescens, exsiccatur aut ab aëris & ambientium pressione attrita in pulverem abeat.

113. In remollitione solidorum, partium situs omnino mutantur, cum gravitates respectivæ a partium divisione immutatae sint, unde graviores fundum petent, leviores oleosæ, aqueæ supernatabunt; ossæ non nisi longo post tempore concident, adeoque Sceleton naturale referent.

114. Mutatis partium integrantium figuris & posituris aëris quoque Bullulis a collapsu supernarum partium compressis & validiori vi sese restituere conantibus, sicut novi attritus, calor, color, odor. Ne credas tamen principia Chimica extricata fuisse & ad hæc explicanda, esse necessaria. Servo in phialâ sanguinem viri sani qui statim coagulatus erat, nunc vero fluidissimus, viginti quatuor diebus post emissionem fœtens, nunc a quatuor annis fœtoris horrendi est, nec tamen ullum aut acidi aut Alkali salis indicium dat.

115. Quæ salia ut efformentur indigent ignis gradū se-

te triplo nostri summi caloris naturalis, seu quocum vivere potest animal; verum nec homine vivente nec immortuo putrescente talis unquam calor exoritur ergo ne illa fermentativa sobolescunt principia.

116. Odor ille cadaverosus quibusdam emundat nari medicis ante ipsam mortem diebus olfacitur, unde tuissimum mors ipsa praesagitur. An dices a fermentatione illum oriri? verum cornu inodorum solâ limatur olet, lapides ipsi è quibus nulla vi ignis possunt educere principia solâ collisione odorem emittunt. Solâ miscellentia mutua trium gummi ut sagapeni opopanacis, &c. Odor novus moschatus exoritur.

117. Mors vera a notabili organorum laesione facta usurpo invincibilis est, verum apparens ut quæ sine notabili laesione, à solidorum torpore & fluidorum lentoritate, vincibilis est ut experientia multiplici compertum est.

118. Solidorum motus torpet a gravi terrore, metu fluidorum cursus languet a cruentis spissitudine, coagulatione ut in hysteris, frigore semi-mortuis, aquâ frigidâ submersis, strangulatis, comatosis & naturaliter insectorum, piscium, amphibiorum serpentumque familiâ. Hos verò homines, hæc animalia dies integros vivere posse, circa ullum vitæ apparens indicium docet experientia.

119. Præcipuum vitæ signum pulsus est, verum hic potest aboliri ad sensum, superstite circulatione, 1° in venis accidere videmus 2°. Ictus arteriæ sese dilatans solus percipitur, se contrahentis verò nullatenus 3°. cognoscimus pulsum tantum per excessum diametri arteria dilatata super diametrum medium; sed hic excessus in carpo vix est unius lineæ & si imminuat unâ 2â, 3â, 4â &c. parte aut si pulsatio non intra quodlibet secundum sed intra plurima tantum secunda fiat, certe pulsus nullus cognoscetur salvâ tamen circulatione.

120. Et si cum antiquis vitam in calido ponamus quo falsum est, certè videbimus ex observatis D. Amontons:

quod si affrictus aut alia caloris causa quælibet unâ undecimâ tantum sui parte minuatur, calor prius naturalis, sit frigus intolerabile, ergo, circulatione salvâ calor potest fere penitus extorsum aboleti.

121. De sensu & respiratione nullus dubitat quin possint ad sensum aboleri citrâ mortem. Ergo per aliquod tempus vivere potest & vivit de facto animal citra ullum vitæ indicium. Optimum itaque inclyti Car. Barbeyrac est consilium, ægros scilicet subito à syncope, comate, frigore, hysteriâ defunctos, non prius terræ mandandos esse quam fœtore cœperint. Cujus prudentiæ defectu, hominem a Vesalio trucidatum, pluresque recens-natos pro mortuis derelictos fuisse referunt.

122. Tum etiam Vallesii consilium est, ne citam eorum qui ob debilitatem fato cedunt mortem pæsagiant, in illis enim crux lentissime circulatur, vix ulla sunt indicia, vita tamen multò diutius, quam illis qui virtibus integri, morbi vehementiâ occidunt, protrahitur. Uno verbo cæteris paribus, vitæ, si fas sit ita loqui, tenacitas est in ratione lentois & tenacitatis naturalis humorum.

123. Extra oleas forte non fuerit adnotasse, errorem illorum qui ut judicent utrum intra matris sinum obietit infans an non, pulmonum fœtus in aquâ immersio ut tuto signo credunt. Supernatabat enim pulmo fœtus jam dum in utero mortui & a nobis inde extracti.

124. Liceat etiam addere summi in praxi momenti monitum quod Vallesio debetur; nullus ferme, ait ille, moritur homo qui paulò antequam moriatur sibi & ascantibus non videatur liberatus, unde non pauci decipiuntur tyrones practici, tūm prognosim tutam, tūm noxiā curam adhibendo, dum mors ostia pulsat.

125. Superesset mortis apparentis curam tradere sed urgent præscripti theseos limites: in hisce a quâlibet causa mors adveniat, solent vulgares practici potionē cardiacas & pomposas præscribere confectiones, ac talia volatilia & spiritus omnigenos ad restaurandum spirituum

nescio quorum penum; de remediis verò mechanicis in solida agentibus & multò efficacioribus ne verbum proferunt.

126. Attamen, experientiâ teste, semi-mortui in casibus allatis vitæ non rarò restituuntur motû solidis & fluidis per frictiones, concussions vellicationes conciliato. Ut in frigore rigidis observarunt Brunnerus, Hofmanus aliqui. Vidimus Comatosum pro mortuo derelictum quem, institutâ validorum virorum ope, succusione, vitâ redonaverunt, renuebant tamen hi viri, mortuum ut ajebant in choræam ducere. Aquâ suffocatos & apparenter mortuos, ope frictionum & linteorum urentium vidimus redire, unde negant redire quemquam.

127. Canes pro mortuis habitos, injectâ aquâ tepidâ in venas majores, & strangulatos homines calore, venæ, sectione & in trachæam per folles aëris alternatâ immisso, tutius restaurabis quam toto Pharmacopæorum opsonio. Moribunda a nimio æstû, aut in vacuo animalia, frigidæ aspersione, liberantur; aut in aëre libero & ponderosiori reviviscunt. Et sic Vitæ ac Mortis Animalium causas Mechanice exposuimus.

F I N I S.



